GLÓRIA IN EXCÉLSIS DEO. Et in terra pax homínibus bonae voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. ADORÁMUS TE. Glorificámus te. GRÁTIAS ÁGIMUS TIBI propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex caeléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, JESU CHRISTE. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, SÚSCIPE DEPRECATIÓNEM NOSTRAM. Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, JÉSU CHRISTE. Cum Sancto ✠ Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA COR MEUM, ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíae Prophétae cálculo mundásti ignito: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen. Jube Dómine benedícere. Dóminus sit in corde meo, et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

SÚSCIPE SANCTE PATER, omnípotens aetérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indígnus fámulus tuus óffero tibi Deo meo vivo, et vero, pro innumerabílibus peccátis, et offensiónibus, et negligéntiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus christiánis vivis atque defúnctis: ut mihi, et illis profíciat ad salútem in vitam aetérnam. Amen.

OFFÉRIMUS TIBI, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínae majestátis tuae, pro nostra, et totíus mundi salúte cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

IN SPÍRITU HUMILITÁTIS, et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus. Veni sanctificátor omnípotens aetérne Deus: et bénedic ✠ hoc sacrifícium, tuo sancto nómini praeparátum.

SÚSCIPE SANCTA TRÍNITAS hanc oblatiónem, quam tibi offérimus ob memóriam passiónis, resurrectiónis, et ascensiónis Jesu Christi Dómini nostri: et in honórem beátae Maríae semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptístae, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis profíciat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in caelis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

QUI PRÍDIE QUAM PATERÉTUR, *(accipit hostiam)* accépit panem in sanctas, ac venerábiles manus suas, *(elevat oculos ad caelum)* et elevátis óculis in caelum ad te Deum Patrem suum omnipótentem, *(caput inclinat)* tibi grátias agens, *(signat super hostiam)* bene ✠ díxit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SÍMILI MODO postquam caenátum est, *(ambabus manibus accipit calicem)* accípiens et hunc praeclárum Cálicem in sanctas, ac venerábiles manus suas: item *(caput inclinat)* tibi grátias agens, *(sinistra tenens calicem, dextera signat super eum)* bene ✠ díxit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI,
NOVI ET AETÉRNI TESTAMÉNTI:
MYSTÉRIUM FÍDEI: QUI PRO VOBIS
ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.

Genuflexus dicit:

Haec quotiescúmqe fecéritis,
in mei memóriam faciétis.

CREDO IN UNUM DEUM. Patrem omnipoténtem, factórem caeli et terrae, visibílium ómnium, et invisibílium. Et in unum Dóminum JESUM CHRISTUM, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sáecula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descéndit de caelis. ET INCARNÁTUS EST DE SPÍRITU SANCTO EX MARÍA VÍRGINE: ET HOMO FACTUS EST. Crucifíxus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus, et sepúltus est. Et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascéndit in caelum: sedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos, et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre, Filióque procédit. Qui cum Patre, et Fílio SIMUL ADORÁTUR, et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam cathólicam et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum. Et exspécto resurrectiónem mortuórum. Et vitam ✠ ventúri sáeculi. Amen.

QUOD ORE SÚMPSIMUS, Dómine, pura mente capiámus: et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum.

CORPUS TUUM, DÓMINE, quod sumpsi, et Sanguis, quem potávi, adhaereat viscéribus meis: et praesta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem pura et sancta refecérunt sacraménta: Qui vivis et regnas in sáecula saeculórum. Amen.

PLÁCEAT TIBI, SANCTA TRÍNITAS, obséquium servitútis meae: et praesta: ut sacrifícium, quod óculis tuae majestátis indígnus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihíque, et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

✠ Inítium Sancti Evangelii secundum Joannem.

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Ómnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebrae eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quae illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine eius: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

ET VERBUM CARO FACTUM EST,

et habitávit in nobis: et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiae et veritátis.

℟. Deo grátias.

Aquam benedicens.

Deus, ✠ qui humánae substántiae dignitátem mirabíliter condidísti, et mirabílius reformásti: *(infundit aquam)* **da nobis per hujus aquae et vini mystérium, ejus divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostrae fíeri dignátus est párticeps, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sáecula saeculórum. Amen.**

Manus lavans.

Lavábo inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine.

Ut áudiam vocem laudis: et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuae: et locum habitatiónis glóriae tuae.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam: et cum viris sánguinum vitam meam.

In quorum mánibus iniquitátes sunt: déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Extra Missas Defunctorum et Ferias Tempore Passionis:

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sáecula saeculórum. Amen.